

b) Errores in quos impegerunt aliqui AA. antiquiores, puta de sequenda opinione minus probabili in conficiendis sacramentis, relicta tutiori, nequaquam ex ipso systemate provenerunt, sed ex imprudenti applicatione probabilismi ubi alius erat status quaestionis. Cfr. n. 68. Quare immerito exprobrantur hodiernis probabilismi puri fautoribus.

c) Si qui impingunt etiam hodie in laxismum qui non sit mere practicus, sed simul speculativus, id potissimum provenit e nimia facilitate qua, sine scientia vel investigatione sufficienti, opiniones probabiles effingunt. Sed hujusmodi homines eadem temeritate fingerent sententias fere aequae probabiles pro libertate si aequiprobabilistarum placitis adhaerent.

d) Manifeste apparet objectionis inanitas e discrimine tam exiguo quod practice inter Theologos utriusque scholae viget. Cfr. n. 73.

§ 4. DE REGULIS SECUNDARIIS PROBABILISMUM DETERMINANTIBUS

75. Regula primaria probabilismi puri " Lex dubia non obligat „, intellecta de lege cui opponatur opinio vere et solide probabilis, per se ad conscientiam in dubiis practicis formandam sufficit. Adhibentur tamen non raro ab AA. aliae regulae secundariae quae praesertim juvant ad dignoscendum quandonam opinio libertati favens sit vere et solide probabilis. Has proinde breviter hic explicabimus quatenus id ad scopum nostrum conducit.

Hae regulae pleraeque e Sexto Decretalium libro (De regulis Juris, ad calcem libri 5ⁱ) desumptae ac proinde authentice a Bonifacio PP. VIII promulgatae sunt; quaedam vero sunt Juris civilis axiomata vel sententiae communiter a DD. receptae, ideoque auctoritate S. Sedis non muniuntur. Directe quidem ad forum externum spectant. Attamen, cum generatim praesumendum sit internum forum cum externo concordare, etiam in dirigenda conscientia attendendae sunt, nisi constiterit eas ob quamdam discrepantiam utriusque fori, ad solum externum esse restringendas.

76. I. *In pari delicto vel causa, potior est condicio possidentis.* (Reg. J. 65^a in 6^o)

Huic principio, quod saepe brevius enuntiatur his verbis: *Melior est condicio possidentis*, plurimum innituntur aequiprobabilistae: quare accuratius explicandum erit.

Sensum hujus regulae pro foro externo, ad quod primario pertinet, ita explanat Reiffenstuel (Jus Canon. univ. h. l.): " Quando duo in eadem causa rei sunt delicti, v. gr. si unus ex delicto dat et alter ex delicto accipit, melior est condicio possidentis, ita ut restituere amplius

non teneatur. Item si duo parem causam absque delicto habent, pariter melior est condicio possidentis, ideoque a possessione dejici non potest, donec adversarius legitime probet se meliori jure gaudere. „

Adversarii ex hoc principio, cum reliqua doctrina sua collato, hanc conclusionem deducunt: " Concurrentibus argumentis aequae vel fere aequae probabilibus, in dubio de legis cessatione, sequenda est, quae legi favet, opinio. „ (Marc, Thesis II de Probab.) Quam sententiam ita probat idem A. (n. 96): " Jura libertatis et legis, ut par est, semper aequalia habet S. Alphonsus. Sicut quando lex est certa, inquit, et dubitatur an sit revocata, in dubio servanda est, donec de revocatione constet, quia tunc lex possidet, ita contra, quando lex non est certa, possidet libertas. Quae verba logice in hunc modum convertuntur. Sicut libertas possidet quando lex non est certa; ita contra, quando lex est certa et dubitatur an sit revocata, servanda est, donec de revocatione constet, quia tunc possidet lex. „ Hi scilicet AA. fictione quadam, libertatem et legem exhibent quasi duas personas quae singulae sua jura habeant et circa conscientiam humanam litigent. His applicando axioma de quo agimus, sicut judex illud applicaret duabus personis vere existentibus et aequales probationes afferentibus, litem adjudicant illi parti quae, praeter rationes aequales, habet conscientiae possessionem.

Nos autem hoc principium in foro interno valere admittimus ubi dubium quod exoritur est negativum, seu veram solidamque probabilitatem non attingit. Ideo nobis hunc sensum affundit: Non est attendenda levis ratio contra legem aut libertatem moraliter certam. Negamus vero illud axioma jure applicari in foro interno ad restringendam libertatem cui faveat sententia vere et solide probabilis.

RATIONES. 1^o Si (ut nobiscum admittunt aequiprobabilistae) lex dubia non obligat praecise quia dubia est, numquam obligabit lex dubia. Atqui lex est aequae dubia, quando probabile est eam desiisse quam quando probabile est eam non existere. Ergo, etiam quando dubium circa legis cessationem versatur, lex non obligat.

Minor inde patet quod lex obligans non est lex in abstracto, neque lex quatenus antea exstitit, sed lex quatenus hic et nunc nos suo vinculo ligat. Jamvero, si probabile est legem hic et nunc vinculo suo non ligare, probabile est legem me hic et nunc vinculo suo non ligare, perinde ac si numquam ligasset. Cfr. Bucc. Th. Mor. I. de Consc. n. 31.

2^o Ubi datur vera probabilitas pro libertate, non est paritas inter forum internum et forum externum. Nam, ut optime scribit Bouquillon (Theol. Mor. fund. n. 296): " a) Statim ac incerta evadit obligatio, simul incerta fit actualis ejus possessio; privilegium autem, de quo supra, valet tantum pro actuali possessione certa; b) praecedens obligationis

existentia minime constituit praesumptionem pro obligatione subsequente, dum rei possessio vel quasi possessio praesumptionem fundat in favorem domini; c) bonum commune non videtur postulare ut obligatio incerta valorem retineat obligationis certae, sicut postulat ut in dubio res possessa non auferatur a possessore. „

3^o Quando agitur de obligatione imponenda, homo haberi debet ut reus a quo aliquid exigitur. Hinc, antequam declaretur obligatus, oportet ut ejus obligatio demonstraretur et quidem pro illo instanti de quo agitur. Si autem haec demonstratio fieri nequit, ut in casu legis probabiliter cessantis, manet homo liber. Nam „ licitum est quod nulla lege prohibetur. „ (S. Th. in 4^{um} dist. 15. q. 2. a. 4) Inde patet non esse paria jura legis et libertatis in opinionum probabilium conflictu. (1)

77. II. In dubio standum est pro eo pro quo stat praesumptio.

Sensus est : si pro aliquo peculiari facto non affertur specialis probatio, potest saepe ratio quaedam generalis sufficiens fundamentum praebere ut admittatur ipsum factum vel aliqua ejus condicio. Ita, insurgente dubio de legitimitate mandati a Superiore emissi, generalis ratio quod Superior in hanc materiam vel in hunc hominem potestatem habet, sufficit ut ejus mandatum sit observandum. Haec tamen praesumptio interdum valida ratione in contrarium elidi potest.

III. In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.

Recte Lehmkuhl (I. n. 110) : „ Haec regula tantummodo particularis applicatio regulae prioris (II) est, siquidem ex ordinarie contingentibus praesumptio aut probabilitatem aut moralem certitudinem generans oritur. „ Sic qui solet statim post confessionem adimplere poenitentiam, praesumere debet se eandem adimplevisse, licet hujus facti nullam peculiarem memoriam habeat.

IV. Factum non praesumitur sed probandum est.

Haec Juris civilis regula significat : factum principale, ex. gr. mortem alicujus quae asseritur ut hereditas obtineatur, esse argumentis positivis probandum.

V. In dubio standum est pro valore actus.

Supponitur certo positum esse aliquod factum principale, ex. gr. me confessionem instituisse, et dubium oriri num actus ille forte sit inva-

(1) His rationibus evertitur quoque systema illorum AA. (inter quos D'Annib. I. n. 260 seqq.) qui solutionem omnium dubiorum moralium a principio possessionis repetunt. De eodem principio applicando ad materias justitiae dicitur Vol. II. n. 6.

lidus, ex. gr. quod timeo ut contritionem sufficientem habuerim. Jamvero ex regula III judicandum est ex ordinarie contingentibus; ordinarie autem solent actus valide poni, ex. gr. soleo elicere contritionem sufficientem. Ergo sine alia probatione possum supponere meam confessionem fuisse validam. Attamen in foro interno, etiamsi actus ex. gr. voti emissi, est certo positus, non urget ejus obligatio si rationem solide probabilem habeo contra ejus valorem.

Eandem veritatem modo magis generali effert aliud Juris civilis axioma : „ *In dubio praesumitur factum, seu recte factum, quod de jure faciendum erat.* „

VI. In dubio pars tutior est sequenda.

Ex iis quae demonstrata sunt, hoc axioma pro foro conscientiae valet tantum in dubio negativo vel practico, et in casu quo non tantum de licitate actionis, sed de effectu aliquo absolute obtinendo agitur. (1)

78. QUAER. de axioma a multis probabilistis usurpari solito : „ *Qui probabiliter agit, prudenter agit*, utrum verum an falsum sit.

RESP. Sententia haec dupliciter intelligi potest. Nam „ *probabiliter agere* „ dici potest ille qui, sententia tantum probabili pro libertate nixus, agit, antequam sibi per reflexa principia conscientiam certam efformaverit. Ita intellecta sententia haec merito rejicitur : siquidem, ut ex antea dictis satis liquet, sola conscientia certa est tuta agendi norma. Sed possunt eadem verba sumi de eo qui sequitur opinionem probabilem, formata sibi, per processum supra indicatum, conscientia certa. Hoc sensu axioma istud usurparunt multi et praestantissimi DD. Sic autem intellectum nihil aliud est nisi brevis enuntiatio theseos de legitimo usu probabilismi.

§ 5. DE USU OPINIONUM PROBABILIUM.

79. QUAER. 1^o Qua ratione confessarius teneatur uti opinionibus probabilibus in poenitente docendo vel absolvendo.

RESP. 1^o Etiam cum iis poenitentibus qui rerum theologiarum prorsus ignari sunt, juvat plerumque in partem benigniorem propendere. Excipitur tantum casus in quo usus opinionis probabilis benignioris periculum peccati formalis crearet, ut facilius contingere potest in

(1) Quaedam alia axioma explicata habes ubi de interpretatione legis. (n. 112)

materia sexti praecepti. Nulla tamen stricta obligatio imponenda est nisi de ea moraliter constet.

2^o Confessarius debet permittere poenitenti ut se gerat juxta opinionem revera probabilem, licet ipse oppositae adhaereat. Id potissimum contingit quoties opinio poenitentis est publice probabilis, ut plures loquuntur, vid. communiter a DD. tradita tamquam probabilis, vel quam libere in praxim deduci posse aliqua e SS. Congregationibus Romanis implicite vel explicite declaravit. (n. 136) Ratio est, quod confessarius, audita confessione, tenetur ad absolvendum poenitentem rite dispositum. Jamvero rite dispositus est qui opinionem probabilem sequi vult, cum hoc sit omnino in conscientia tutum. (Lugo, de Poenit. disp. 22. n. 39)

3^o Si confessarius diserte novit errare poenitentem qui opinionem aliquam tamquam probabilem habeat, sive ob rationem intrinsecam falso apparentem, sive ob unius alteriusve doctoris auctoritatem, non tenetur ad eum absolvendum. Nam in hoc casu opinio haec poenitentis est merus error; absurdum autem videtur obligare confessarium ad absolvendum poenitentem qui in opinione omnino erronea persistere voluerit. Monent tamen Lugo (l. c. n. 46) et Sanchez (in Dec. l. 1. c. 9. n. 30) cavendum esse confessario ne, sine maturo examine et debito consilio, judicet improbabilem sententiam quam ipse non tenet; neque cogendum esse poenitentem ad relinquendam sententiam quam confessarius quidem improbabilem judicat, eo quod, attento studio, rationes ejus falsas vel labiles esse comperit, alii autem multi et docti adhuc probabilem esse opinantur. Nihilominus vituperari non posset confessarius absolutionem denegans poenitenti qui velit sequi sententiam ab aliquibus DD. propugnatam, sed ejus falsitatem percipiat confessarius, eo quod adversetur principio certo cui videat nullum patere responsum. Hanc enim facultatem ei agnoscit S. Alph. (l. 6. n. 604).

4^o Non semper deneganda esset absolutio poenitenti qui ita in sententia aperte improbabili perstare voluerit. Nam applicandae sunt regulae quae dantur in Tr. de Poenit. de ratione agendi confessarii cum iis qui in ignorantia culpabili vel inculpabili versantur. (Vol. II. n. 358 seqq.)

80. QUAER. II^o An aliquis teneatur adhuc ad satisfaciendum obligationi certo a se contractae, si probabile est illi jam satisfactum esse.

RESP. Seponemus hic casus in quibus de aliquo debito ex justitia agitur: hi enim, cum specialem difficultatem praebeant, melius in Tract. de Contr. n. 592 solvantur. In reliquis vero casibus, ex. gr. ubi votum certe emissum, probabiliter impletum est, datur duplex sententia probabilis.

Prior ab obligatione solvit. Hanc sequuntur Suarez (in 3. p. disp. 22.

sect. 9. n. 6), Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 59 seq.) aliique plurimi. Ratio est quod, posita impletione probabili hujus obligationis, ex. gr. voti, jam non certo constat de obligatione in futurum. Licet lex certo antea existerit, nunc jam dubia facta est.

Posterior tenet manere obligationem. Ita S. Alph. (n. 28 seq.) aliique complures, praesertim ex ejus discipulis. Sic (l. c.) affert S. D. rationem ob quam improbabilem censet priorem sententiam benigniorem cui olim ut probabili adhaeserat: "Ratio, quia, cum votum est dubie emissum, recte dicitur non adesse obligationem illud implendi, tunc enim possidet libertas; cum tamen votum est certum, libertas haec ligata remanet ab obligatione voti, donec votum non sit impletum. Tum tantum prima sententia admitti posset, cum probabilitas esset talis quod praesumere faceret, quadam certitudine morali, voto jam fuisse satisfactum. Quod autem diximus de voto, intellegendum est etiam de satisfactione poenitentiae sacramentalis." Cfr. H. Ap. tr. 5. n. 31. Hanc tamen rationem minime stringentem esse, satis liquet ex iis quae supra (n. 76) dicta sunt de applicatione principii "Melior est condicio possidentis", ad forum conscientiae. Distinctio nempe illa inter legem probabiliter non existentem et legem probabiliter cessantem est practice mera subtilitas: dubitare num lex hic et nunc cessaverit, practice idem est ac dubitare num hic et nunc existat. Nullatenus demonstratur obligationem adhuc certam esse quoad hanc impletionem voti in futuro faciendam: qua de re unice inquiritur.

81. QUAER. III. Num liceat eidem homini circa eandem rem nunc hac, nunc illa e duabus sententiis probabilibus oppositis uti.

RESP. 1^o Si agitur de duobus casibus similibus, sed tamen omnino inter se distinctis, per se nihil prohibet quominus nunc una, nunc altera sententia probabili utar. Sic possum pro uno testamento sequi opinionem quae tenet illud esse invalidum, si forma legalis caret, pro altero testamento uti opinione contraria. Attamen in iis praesertim qui munere aliquo publico funguntur, potest aequitas vel justitia interdum obstare ne hac inconstanti agendi ratione propriam auctoritatem minuant vel alios in errores perniciosos inducant.

2^o Si agitur de actu moraliter uno, non licet eodem tempore utramque opinionem probabilem usurpare vel semel assumptam opinionem mutare:

a) Si ita certa aliqua lex vel certum jus tertii violatur. Ex. gr. si quis duplici opinione de necessitate formae legalis utitur circa idem testamentum, una ut hereditatem accipiat contra heredem ab intestato, altera ut se ab onere solvendi legata liberet. Is enim violat certum jus

tertii : nam legata illa nullo titulo conservare potest. Similiter non licet ea die qua jejunandum est sumere mane plenam refectionem, quia probabile est horam illius non pertinere ad jejunii substantiam, et meridie iterum prandere, quia probabile est jejunium esse substantialiter laesum. Ut enim dicit Lugo (de Euch. disp. 15. n. 52) : " Sicut praeceptum obligat certo ad opus injunctum, sic obligat ad non mutandam sententiam, cujus mutandae libera facultas impediret praecepti observantiam. „ Propter eandem rationem, non licet eidem homini in eadem refectione sumere duos cibos quorum alteruter sit certe vetitus.

b) Si alterutra e duabus legibus certe violatur, quamquam dubium manet utra lex reapse infringatur. Ex. gr. sacerdos aliquis in pervigilio Pentecostes, propter duo horologia, dubius haeret utrum media nox jam advenerit necne ; unius autem horologii probabilitate utitur ad cenandum ; alterius vero probabilitate ad celebrandum, quasi adhuc a media nocte jejunus foret. Ut enim ait Lugo (l. c. n. 53) : " Stante illo duplici praecepto, ego debeo ex complexione utriusque praecepti abstinere a cibo post comestionem unicam diei praecedentis, seu post refectionem serotinam usque ad Missam vel communionem diei sequentis, et Superior habet jus ex vi utriusque praecepti ad hoc totum ; ergo habet jus ad prohibendam variationem horologii ex qua impediatur observantia et redditio totius illius debiti ad quod certum habebat jus. „ Secus tamen dicendum foret (Lugo, ib. n. 47) si quis, audito prioris horologii pulsu, diem jejunii elapsam esse putaret cenamque sumeret, postea vero agnosceret hoc prius horologium errasse necdum adfuisse mediam noctem quando cenam sumpserit. Tunc enim nihil prohiberet quominus, errore detecto, Sacrum celebraret.

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET ESSENTIA LEGIS.

82. DEFINITIO. Lex moralis (nam de physicis non est quod agamus) late sumpta est *recta agendorum vel omittendorum ratio*. Sic complectitur praeceptum et aliquatenus ipsum consilium. *Stricte sumpta* cum S. Th. (1. 2. q. 90. a. 4) defini solet : *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata*. Cujus definitionis verba breviter explicentur oportet.

Ordinatio rationis. Ratio intellegitur *practica* seu intellectus et voluntas. Actus ergo causativus legis est ab intellectu in quantum ordinat, et a voluntate in quantum obligationem inducit. Ita S. Th. (1. 2. q. 97. a. 3) : " Omnis lex proficiscitur a ratione et voluntate legislatoris. „

Ad bonum commune. His verbis indicatur legis *causa finalis* ; simul subindicantur et *subjectum* (communitas qua talis) et *objectum* (actiones seu omissiones subjecti ad hunc finem ordinabiles).

Adverte : a) aequivalenter ferri in communitatem legem quae aliquam tantum civium classem obliget, ex. gr. milites, mercatores : revera enim non fertur tantum in eas personas quae hic et nunc in illa classe versantur, sed in omnia communitatis membra quae aliquando huic classi adscribantur ; — b) effectum legis immediatum saepe afferre incommodum, ut patet in lege tributorum ; incommodum tamen illud mediate ad bonum majus referri posse, ex. gr. perfectiorem justitiae administrationem quae per majora tributa obtineatur.

Ab eo qui curam habet communitatis. Nam " ordinare aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis. „ (1. 2. q. 90. a. 3) Indicatur auctor legis de quo n. 86 seqq.